



1750, 2 20
38.
FACVLTATIS JVRIDICAE
DECANVS,
HENRICVS MELCHIOR
SCHÜTTE JCtUS,
MEMORATAE AC PHILOSOPH. FACVLTAT.
ASSESSOR, JVR. AC POLITICES
PROFESS. PVBL.

L. B. S.
quædam de legatis.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



SCHUTTEN

MEMORIALIS AC PHILOSOPHICALIS



egati vocabulum in jure civili modo accipit
tur late, pro quaunque ultima voluntate, ita ut & heredis institutionem, libertatis dationem, tutoris constitutionem, fidei commissum, mortisque causa donationem comprehendat: modo striete pro ultima voluntate, qua particulariter aliquid verbis directis & imperativis relinquitur. In hac significazione capitur iterum vel pro re legata §. 1. f. b. 1. vel pro titulo, i. t. ff. de leg. præf. vel pro actu legandi. In prima notione definitur ab Imperatore, quod sit donationem quædam, a defuncto relicta, ab herede præstanta. Constat enim, in jure nomina verba in 10. aliquando rem ipsam denotare v. c. thesaurus dicitur depositio ac servitus constitutio juris gentium. LAVTERBACH. Colleg. theor. præf. Pand. Libr. 30. 31. § 32. f. 2. Legatum autem describitur per donationem, quia æque ac donatione ex mera liberalitate proficitur. Vocatur vero quædam donatio, ad denotandum, quod sit impropre sic

sic dicta donatio. Differt enim tum a donatione inter vivos, cum haec utriusque constet voluntate, nec temere revocari possit, tum a donatione mortis causa, ut potest quae utriusque consensu perficitur, & acceptationem alterius requirit; legatum vero etiam absenti & ignorantis confertur. Præterea donationes a vivente proficiuntur in donatarios, legatum e contrario relinquitur a defuncto, i. e. post mortem demum testatoris in legatarium transit. Additur ab Imperatore: ab herede præstanta. Licet enim legatum non nunquam ab ipso testatore adhuc vivente præstetur, id tamen per accidens sit, imo si hoc fiat, degenerat in donationem inter vivos, aut si mortis mentio facta, in donationem mortis causa. HOPP. ad §. 1. J. b. 1. Ac, licet legatum recta via, post mortem testatoris transeat in legatarium l. 64. ff. defuit. hoc tamen de dominio, non de possessione intelligendum. Quodsi legatarius itaque rem sibi legatam, ab herede jam possessam, sine illius consensu, propria auctoritate, occupat, incidit in poenam edicto D. Marci fancitam, h. e. omni jure suo excidit, l. 13. quod met. cauff. l. 7. C. unde vi. WERNHER. select. obser. for. part. 4. Obs. 173. n. 1. Si autem res ab herede non dum possessa, a legatario fuit occupata, legatarius quidem jus suum haut amittit, WERNHER. sel. obser. for. part. 7. obs. 38. interdicto tamen quod legatorum ab herede conveniri potest ad ejus restitutionem vel præstandum interest. l. 1. §. 2. quod legat. CARPOV. Part. 3. Const. 13. def. 30. Non aliter tamen interdicto, quod legatorum locus est, quam si heredis, intuitu Falcidiae aut alias intersit; alias exceptione: tua non inter est, repellitur. WERNHER. cit. obs. 173. Ad legata consequenda tria ordinaria juris remedia dantur, actio

scilicet in rem, hypothecaria & personalis ex quasi contra
ctu §. 2. inf. 7. b.t. Multi per actionem in rem tan
tum rei vindicationem intelligunt. Sed quamvis ita
principaliter se res habeat, aliæ tamen reales actiones
sub illa comprehenduntur. Si enim res incorporalis,
vel aliud jus in re sit legatum, post ejus agnitionem
non rei vindicatio, sed actio inde descendens, scilicet
servitute legata, confessoria directa, si aliud jus, utilis
datur. Rei vindicatio autem propterea competit lega
tario, quia rei legatae dominium ipso jure in legata
rium transit. 1. 80. ff. de legat. 2. HVBER. Præl. ad Inst. libr.
2. tit. 20. §. 34. LVDOVICI. Doctr. Pand. Libr. 30. 31. § 32.
§. 10. §. libr. 1. tit. 8. §. 15. in primis JO. FRIDEM.
SCHNEIDER. dissert. de Dominio rei legatae ipso jure trans
eunte. Supponitur hic tamen, quod species sit legata,
& quidem testatoris propria. Nec obstat, quod ad do
minium transferendum traditio, in l. 20. C. de pad. re
quiratur. Nam hæc tantum desideratur, quoties a
privato in privatum dominium est transferendum, non
vero, si vel beneficio legis, aut officio judicis trans
fertur dominium. HOPP. Comment. ad Inst. Libr. 2. tit.
1. §. 43. §. libr. 4. tit. 17. §. 7. Quando res certa, corpo
ralis, ipsiusque testatoris propria pure est legata, tunc
legatario statim ex ipso mortis momento dominium
acquiritur. Acquiritur tamen tempore mortis testa
toris tantum juris fictione, ad effectum transmissionis:
siquid m legatarius ante aditam hereditatem mortuus,
legatum nihilominus in heredes transmittit: veritate
contra & effectu ex tempore aditæ hereditatis. Sub
intelligitur vero tacita conditio: si legatum non repu
diaverit: legatarius enim, utut ipso jure dominus fiat,
ejusque heres, in quem legatum ante agnitionem trans
missum,

missum, facultate adhuc gaudet legatum repudiandi,
& hac repudiatione facta, dominium resolvitur. Qua-
re triplex rei legatae in legatario vulgo statuitur domi-
nium, fictum nempe a morte testatoris usque ad adi-
tam hereditatem; verum ab adita hereditate ad agnitio-
nem, sed revocabile, si non agnoscat, & denique irre-
vocabile, non facta repudiatione. Secunda actio est hy-
pothecaria legatario in omnibus defuncti bonis in secu-
ritatem legati concessa l. 1. C. Commun. de legat. Haec
actio juri ff. incognita, beneficio Justiniani accepta fe-
renda est. Haec hypotheca tacita competit a tempore
mortis testatoris etiam in legato conditionali, & datur
contra singulos heredes, etiam tertium possessorem l. 15.
l. 18. C. de pignor. l. 12. C. de distraff. pign. Duo tamen
hic singularia occurunt, unum, quod non detur in soli-
dum, sed dividatur inter plures heredes d. l. 1. in fin. ibi-
que BRVNDEM. licet jus pignoris alias sit individuum
l. 65. de evit. l. 1. l. 2. C. si un. explur. quia hoc pignus non
tam hereditarium, quam rebus hereditariis primum, &
quidem singulis heredum portionibus pro rata debiti a
lege impositum est. Alterum, quod effectus hujus hy-
pothecae locum non obtineat quoad creditores testato-
ris. Cum enim legatum sit donatio, quilibet autem de
suo tantum liberalis esse debeat, ac creditores certent de
damno vitando, legatarii vero de lucro quærendo l. fin.
§. 4. & 5. C. de jur. del. & legata non debeantur, nisi de-
ducto ære alieno §. fin. §. d. L. Falcid. l. 6. C. eod. omnes
testatoris creditores, etiam chirographarii nudi, legata-
riis præferuntur. Tertia actio est personalis, & speciali
nomine appellatur actio ex testamento, quia jure veter-
i in testamentis tantum legata relinquebantur. Hodie
vero legata relinquuntur quavis ultima voluntate, &

ipsa obligatio non ex testamento, sed ex quasi contractu,
agnitione nempe ultimae voluntatis oritur §. 9. *J. de*
Ob:gar. quæ quasi ex contr. LAVTERBACH. l. c. §. 45. sqq.
Præterea legatarii etiam confugere possunt ad reme-
dium *L. ult. C. de Edi&o. D. Hadriani tollendo.* Objici-
unt quidem dissidentes, legatarios semper habere
contradictem, nempe heredem, & tria hic ordinaria
juris remedia legatariis tributa esse, adeoque non conce-
dendum esse remedium extraordinarium *l. 16. pr. ff. de*
minor. Sed his dubiis ita occurri potest, quod nequa-
quam sufficiat, heredem contradicere posse, sed requi-
ratur justa contradicendi causa, ac quod remedium ordi-
narium tunc non excludat extraordinarium, si extra-
ordinarium ordinario pinguius est. *LAVTERBACH l.c.*
§. 43. Imo celebrr. *LEYSERVS Medit. ad ff. Spec. 381. med.*
4. sq. docet, non opus esse legatariis in Germania nostra,
ad legem illam provocare, cum longe melius reme-
dium illis suppetat. Sed isthæc fusiū persequi ni-
hil attinet, cum ea copiosius ex cathedra, occasione *l.*
80. ff. de legat. 2. explicaturus sit

NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS JVRIVM
CANDIDATVS,

DOMINVS
FRIDERICVS GOTTLLOB
SCHEVFFLER.

Natus is est die IX. Augusti. anni MDCCXXVII. in ur-
be Saxonica, quæ Lommatzsch appellatur. Patrem
JOANNEM GOTTLLOB SCHEVFFLERVM, Advocatum
immatriculatum, & juris Præticum dexterimum, nec
non in sex pagis Justitiarium, ac matrem CHRISTIA-
NAM

NAM CONCORDIAM ex gente Reichiorum prognatam
adhuc, per summi Numinis gratiam, superstites vene-
ratur. Litteris, quæ ab humanitate nomen accepe-
runt, a privatis magistris imbutus est, parens vero opti-
mus eum philosophiae ac jurisprudentiae elementa do-
cuit. Academiæ Vitembergensi ann MDCCXLV.
Restore Magnifico, Summe Rever. BAVERO, SS. Theol.
D. & Prof. Publ nomen dedit, ibidemque collegiis
philosophicis clariss. HILLERI, juridicis vero in HEI-
NECCI Elem. jur. civil. secundum ordinem institutio-
nem & LUDOVICI doctrinam Pandectarum, celeberrimi-
orum virorum LEYSERI, RIVINI & KRAVSII inter-
fuit. In jure Canonico addiscendo doctoribus usus est
laudato jam LEYSERO & Doct. WERNERO. Theoriæ ju-
ris ut praxin jungeret, non solum celeberr. HANACII
collegia disputatoria sed etiam practica frequentavit.
Nec minus Lipsiæ celeberr. viros, SIGELIVM, ZOLLERVUM
& RICHTERVUM digesta & jus clientelare explicantes au-
divit. Absolutis studiis academicis in patriam redux,
modum caussas in foro orandi a charissimo patre, cuius
amorem ac fidem singularem satis prædicare nequit,
hausit. Tandem ut præmium exantlatorum laborum
consequeretur, nostrum accedit ordinem, atque ut ad
consueta Licentiatorum specimina inauguralia admitte-
retur, modeste petiit, quibus precibus locum dedimus,
ac cum eo textus ex utroque jure enucleandos com-
municavimus, ipsique examini rigoroso habendo diem
præstituimus, in quo textus explicavit, & ad quæstio-
nes propositas ita respondit, ut unanimibus suffragiis
in numerum juris utriusque Candidatorum receptus,
& ad reliqua specimina inauguralia admisus, honori-
busque, ad quos adspicit, dignus judicatus fuerit. Igi-
tur

tur proximo die Mercurii, die XXII. April. a. c. lectio-
ne cursoria in l. 80. ff. de legat. 2. commentabitur, eaque
finita, dissertationem inaugurem

DE EO,

**QVOD JVSTVM EST CIRCA
PROBATIONEM MORTIS
ABSENTIS.**

publico eruditorum examini submittet. Quibus acti-
bus solennibus ut Universitatis nostræ Magnificus at-
que Reverendissimus Dominus Rector, nec non Aca-
demiaæ Proceres ac cives haud gravatim interesse ve-
lent, perquam officiose & humaniter invitantur. Pu-
blic. Sigillo Facultat. Jurid. d. XIX. April. A. O. R.
M DCC L.

L.S.

Erlurt, Diss., 1748-51

X 2387035

ULB Halle
006 771 165

3




VD 78





B.I.G.



20

38.

1750, 2
FACVLTATIS JVRIDICAE
DECANVS,
HENRICVS MELCHIOR
SCHÜTTE JCTUS,
MEMORATAE AC PHILOSOPH. FACVLTAT.
ASSESSOR, JVR. AC POLITICES
PROFESS. PVBL.

L. B. S.

quod am de legatis.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

